

deducet velle, inter quos celebriores sunt Keckermannus *l. 1. Syst. Theol. c. 3.* Morneus *de veritate Relig. Christ.* & Poiretus *in Cogit. Rational. de DEO &c.* Etiam si vero sententiam hanc non proferant alia ratione & intentione, quam ut ostendere nitantur, Gentilibus aliisque Mysterio Trinitatis adversantibus ex proprio suo principio, nimirum ex ratione obviam iri posse; turpem tamen μεταβασιν εις άλλο γει commitunt, probantes è Ratione, & quidem solâ, quod è sola Revelatione cognoscitur. Cœterum quod hanc ipsam methodum in se attinet, periculosam illam atque insufficientem etiam quoad primariam eorum, quam prætendunt, intentionem esse, nulli dubitamus. *Nunquam valet magis ratio quam in suo foro, sibiq; in alieno relicta, contra revelationem,* inquit Dn. D. Hannekenius *Anim. ad Maresii Syst. Theol. Obs. ad §. 19.* Adeo si semel susceperimus eadem cum Adversario principia, atque ex iis sustinendæ causæ nostræ non suffecerimus, non poterit non victoriæ persuasus esse, indeque in errore suo magis confirmari. Qui igitur cum Adversario Revelationem respiciente rem habet, ex lumine naturali erroribus ejus refutatis, antequam suæ sententiæ confirmandæ accedat, ante omnia eum ad accipiendam admittendamque principia revelata adigere debet; vid. Dn. D. Osiand. *Syst. Theol. L. 1. p. 142.* Imo ipsa illa argumenta, cum ab Ingeniis Revelationis studio aliàs adsvetis proferantur, communiter aliquid supponunt, quasi ex natura notum, cum nisi ex revelatione constare non possit, imo rationi irregnitæ potius contrarietur. Si Keckermanni Argumentum consideremus, quod ita se habet:

In qua essentia est perfectus intellectus reflexus in se ipsum, & perfecta itidem voluntas in se ipsam reflexa, in illa essentia est imago genita, & Spiritus, impetu voluntatis procedens.

Atque in unica & simplicissima DEI essentia ista insunt.
Ergo.

Nemo quidem, qui Revelationem nondum cognoverit, de Minore dubitabit: qua vero ratione admittere aut comprehendere Majorem possit, non video, attente quidem pensitatis,
quæ